

ANDRELINO (Fausto)

AD GUIDONEM RUPERFORTEM (98 vers)

v.1 Guido, Sophocleis semper resonande cothurnis,  
 2 digne Sibyllinos vivere Guido dies !  
 3 Vernantes patula quot aves sub fronde teguntur,  
 4 quot pascit Calabras fertile gramen oves,  
 5 praesenti meritas solvo tot carmine grates,  
 6 ne fluat officii munus inane pii.  
 7 Ante vagans solitos mutabit Cynthia cursus,  
 8 quam cadat ex animo gratia facta meo.  
 9 Volvetur nono dum mundus ab orbe rotatus,  
 10 obsequium pandam tempus in omne tuum.  
 11 Acceptum grato vulgandum est munus ab ore :  
 12 ipse suum jactans sordidat auctor opus.  
 13 Ecce facis solers nostrorum exactor honorum,  
 14 regius ut solito more poeta ferar.  
 15 Et ferar et passo dentur sua dona labori,  
 16 aptaque condendis otia rebus agam.  
 17 Optimus est quisquis sola virtute paratur :  
 18 talis inexhaustam praestat amicus opem.  
 19 Ut fera pro capto qui vincla subivit amico  
 20 non leve perfecti nomen amantis habet.  
 21 Propterea pigrae fugienda ignavia vitae,  
 22 et labor est summa continuandus ope.  
 23 Augetur multo virtus operosa labore  
 24 villescitque gravi segnis inersque situ ;  
 25 rodentique piger rubigine sensus hebescit  
 26 et sopita nocens pectora torpor habet.  
 27 Mollia frigescit neglecta per otia virtus,  
 28 otia per centum luxuriata modos.  
 29 Excitat ignavos semper labor improbus artus,  
 30 ut male veloces utile calcar equos.  
 31 Qui rudis et nullas expers cognoverit artes  
 32 jugera prevalido dura ligone terat.  
 33 Sit licet incultum, tamen est laudabile quicquid  
 34 tota per assiduum membra fatiget opus.  
 35 Qui gnavam posito sese exercere veterno  
 36 affectet promptum semper habebit opus.  
 37 Audenti immensum nautae non deficit aequor,  
 38 militibus cupidis bella gerenda patent,  
 39 lataque non desunt poscentibus arva colonis,  
 40 et compos voti quisque placentis erit.  
 41 Parvula sed magnum subiens formica laborem  
 42 exempla humana gente sequenda dedit.

43 Nam cum percussa detrita est area fruge,  
 44 indiga terrenas deserit illa domos.  
 45 Excussi ad plenos frumenti tendit acervos,  
 46 et cava vitalem portat in antra cibum.  
 47 Pars pede, pars humero, praedam pars devehit ore  
 48 venturaeque hiemi provida turba cavet.  
 49 Neve novum humenti germen tellure remittat,  
 50 conditur abroso semine vecta seges.  
 51 Si clausum hibernus granum madefecerit imber,  
 52 siccatur in aprico sole tepente loco.  
 53 Et priscum repetens tectum indefessa reponit :  
 54 impigra sic gelidas praeterit illa nives.  
 55 Daedaleas et apes, cum prima incoeperit aestas,  
 56 non minor exercet sole micante labor.  
 57 Ad matutinum reboans vocat una laborem :  
 58 exit ad officium sedula quaeque suum.  
 59 Ad nova seu referunt lectos praesepia flores,  
 60 seu stipant dulci condita mella favo,  
 61 vel facto interimunt infensos agmine fucos,  
 62 vel si qua est lato pondere fessa levant,  
 63 aut visa excutiunt rerum excrementa recentum  
 64 mundities pulchri tanta laboris adest.  
 65 Custodes portis aliae bipatientibus adstant,  
 66 ne qua laboratas vis populetur opes.  
 67 Regia plebeis divisa palatia tectis  
 68 mens struit ad miros ingeniosa modos,  
 69 et cessans turpi punitur inertia morte.  
 70 I nunc et torpens tempus abire sinas ;  
 71 adde quod excubitor peragenda negotia gallus  
 72 significat cantu nocte silente suo,  
 73 et vigiles certis cantus determinat horis  
 74 tendit et ad somnum sole cadente brevem,  
 75 ne stertat tota post multos nocte labores  
 76 et sua distinguens tempora sudet homo.  
 77 Hinc venit Alcides cunctis imitandus ephebis,  
 78 cui grata est spretis cura laborque jocis,  
 79 utque peragratum monstris pacaverat orbem,  
 80 caelestes petiit quos tulit ante polos.  
 81 Dulcibus illecebris quotiens oblata voluptas  
 82 allicit, est fortis continuisse viri !  
 83 Stat virtus duros inter versata labores,  
 84 difficilique aditu sudor anhelus inest.  
 85 Ardua sunt numquam magno sine facta labore,  
 86 nec venit ex molli vivida fama toro.  
 87 Ast ubi sunt rigidi superata cacumina montis  
 88 nomen inexstinctum meta suprema gerit.  
 89 Illic certa quies, illic jocunda voluptas :  
 90 praeteritus sudor dulce juvamen habet,  
 91 littera ceu monstrat Samio divisa poetae  
 92 ex Palamedea littera facta grae.  
 93 Unde brevem aeterno vitam cum nomine mavult  
 94 quam longo Aeacides tempore vivat iners.  
 95 Me juvat et prima multum vigilasse juvena,  
 96 ut mea sit tantum nacta Camena virum ;  
 97 nacta Camena virum, tuta est quo sospite virtus :  
 98 non parva est summis fama placere viris.